



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 5. Quare confirmatos esse oportet?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

*De Sacram. Baptisni. Cap. VIII. 103*

*Quæst. 4.* In quanam ætate esse debent  
Patrini?

*Resp.* Ut præscribitur in Rituali Romano  
his verbis. *Hos autem Patrinos saltem in æta-*  
*te pubertatis ac Sacramento Confirmationis*  
*consignatos esse maximè convenit.* Id est, an-  
no 14. completo pro Patrinis, & 12. pro Ma-  
trinæ.

*Quæst. 5.* Quare requiritur ut Patrinus  
confirmatus fuerit?

*Resp.* Rationem affert sanctus Antoninus,  
dum ait. *Nascitur homo in esse spirituali per S. Ant. 3. p.*  
*Baptismum, & vivit utique vitâ gratia, sed tit. 14. c. 3o.*  
*adhuc est quasi debilis in vita spirituali: sed S. ult.*  
*per Confirmationem vel Chrismationem con-*  
*firmatur quasi perveniens ad statem robustam*  
*ut possit bellare, & fortia agere. Vnde ut de-*  
*bilis accedens baptizandus ad hoc debet sus-*  
*tentari ab alio, qui tamen debet esse Chrisma-*  
*tus. Nam debilis non est idoneus ad sustentan-*  
*dum debilem, ne ambo simul cadant.*

*Quæst. 6.* Quotnam esse debent, qui pue-  
rum de fonte suscipiant Patrini aut Matrinæ?

*Resp.* Numerum præfixit Concilium Triden-  
tinum his verbis: *Volens itaque sancta Syno-*  
*dus huic incommodo providere, & à cognatio-*  
*nis spiritualis impedimento insciens, statuit,*  
*ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta*  
*sacrorum Canonum instituta, vel ad sum-*  
*mum, unus & una de Baptismo suscipiant.*

*Quæst. 7.* In quo consistit cognatio quæ  
contrahitur in Baptismo?

*Resp.* Ut ait Bonifacius VIII. relatus in Ca-  
none: *Nendum inter baptizatum & illum qui*  
*eum suscepit de Baptismo, ac inter eundem*  
*baptizatum & suscientis filios & uxorem*  
*ante susceptionem carnaliter cognitam ab eo-*  
*dem: immo etiam inter suscientem patremque*

E v

Cina Nedium  
De cognat.  
spiriti in sex-  
to.